Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Chaldei addicunt. ⁊ pene defendunt. Homines seuiunt. ⁊
⁊ supplicia uenerant. Tirannus putabat tantum tormenta
posse seuire. quantum ipse sacrilegus existimabat se potestatem
habere. Ignes iustis cedunt ardores flamarum in refrigerium
uertuntur. ⁊ nature instituta uoraces impetus obliuiscuntur.
ut iustos uenerantes timerent. ⁊ eorum hostes persequentes punirent.
Ignes iustos hospicio cum omni honore suscipiunt. ⁊ libenter
obsequium prebent. Hostis mutato genere seuit. nec aliqua
pietate mouetur nec humanitate blanditur. Posset uincere.
si ignibus imperaret. Offeruntur quoque ignibus iusti. uestitu tecti uin
culis colligati. Defenduntur ardoribus iusti. ⁊ quos uis huma
na dampnauit. ignis absoluit. Nichil cogitat nichil metuit.
Sic namque crudelitas tyrannica superata prosternitur. dum sui
satellites deuorantur. Cernit penam. ⁊ seruorum dei aspicit gloriam.
Iustis ignes obsequium prestant. iniustis interitum subministrant.
Dum uindicat flama. impii necantur ⁊ iusti saluantur. Cum ad
fornacem tirannus festinanter accederet. stupet laude miratur
factum. ⁊ uenerat dominum cum tribus pueris in fornace. Aspicit iusto
diuinoque ambitu protegi quos nuper iusserat. uiolentus extin
gui. In illis in fornace uidet quem in illis ante non esse puta
rat. Quo uiso territus furori addidit lenitatem. ⁊ fit repente
confessor qui nuper fuerat persecutor. Predicat qui paulo ante ne
gabat. ⁊ uenerari precipit qui uenerantes dampnauit. Rogauit
de fornace iustos procedere. ⁊ precatur de igne dei famulos prosi
lire. Exite inquit serui dei excelsi. Nunc me defensorem dei
profiteor cuius inimicum fuisse constat. ⁊ ut cuius seruos ignarus
persequebar. eius inimicos ut defensor ulciscar. Tunc de fornace
egrediuntur illesi hebrei. ⁊ letantur incolomes. triumphant uicto
res.